teor, magnificentiore quàm par est. Nihil aliud enim toto opere, quàm *Logica quædam reformata & ad puram propriamque loquendi rationem revocata* continetur, quæ quidem me autore vera libri inscriptio esset, sed nolui in alienis immutandis intempestivè ingeniosus esse. In Metaphysicam passim invehitur, nec affert tamen quicquam quod Metaphysicæ principia convellat, nisi quatenus dialecticis cognata sunt, neque uspiam de uno & multo, de toto & parte, de eodem & diverso, de necessario & contingente, de causa & effectu, de mutatione & duratione, atque aliis metaphysicæ locis tractationem suscipit. Rerum naturalium & mathematicarum nulla mentio, civilia vix frigidè attinguntur.

Ut ita tam magnificæ inscriptionis excusationem nullam inveniam, nisi hanc unam: Logicam veram non tantùm instrumentum esse, sed & quodammodo principia ac veram philosophandi rationem continere, quia generales illas regulas tradit, ex quibus vera falsaque dijudicari, adhibitisque solis definitionibus & experimentis omnes conclusiones demonstrari possunt. Sed sunto etiam, non philosophiæ, non ipsarum propositionum principia, veritatemque rerum non faciant, sed ostendant; attamen philosophum facient, rectè philosophandi principia erunt, quod Nizolio tuendo satis est. *Ita autem quod reliquum est præfationis partiemur, ut prius de usu eorum quæ rectè Nizolio disputata sunt, deinde de erroribus eius quibusdam & excessibus, differamus.* Usus Nizolianarum meditationum scopum simul editionis hujus iteratæ continet, ut ita ei parti fit paulò diligentius incumbendum. Duo autem mihi potissimum editione dignum Nizolium reddere visa sunt, *dicendi ratio*, & *tempus autoris*, dicendi ratio quia Philosopho digna est; tempus autoris, quia autor nostro dignus est, illo certè tempore quo vixit, meditationes eiusmodi non nisi solidissimis & exquisitissimis ingeniis obtigerunt. Dicendi ratio, quam ille non adhibet tantùm, sed & perpetuò urget, solidissimis viris dudũ digna visa est, quæ paulatim velut postliminio in Scholas reducatur. Dicendi inquam ratio naturalis & propria simplex & perspicua, & ab omni detorsione & fuco libera, & facilis & popularis,